

ab eodem, qui infra nominabitur.

II. fol. 6. *Contemplationibus deuotissimis dolorum beatissime marie virginis quos habuit tempore passionis filij sui domini nostri.* Sunt numero XLII. quarum prima incipit: *Lazaro resuscitato ut habetur Job. XI. Quidam iudei retulerunt miraculum ipsum scribis et phariseis &c.* Finiunt cum Ascensione Domini, unde ad calcem: *De missione spiritus sancti vide actus apostolorum.* Suspicio, pertinere ad eundem Autorem.

III. fol. 51. *De Rosario beatissime marie.* Praenotatur: *Sequentium determinatio quodlibetalis facta Coloniae in scholis arcium Anno a christi natali millesimo quadringentesimo septuagesimo secundo, per fratrem michaellem francisci conuentus insulensis ordinis predicatorum Sacre Theologie professorem tunc temporis in Conuentu Coloniensi prefati ordinis regentem.* Initium est: *Primum quodlibetum. Cum dauid dicat, particeps ego sum omnium timentium te &c.* Sunt *Quodlibeta*, uti tunc in Academiis adpellabantur, numero XVI. Illa excipit

IV. fol. 81. *Traclatus pulcherrimus de partibus integralibus seu materialibus rosary virginis gloriose videlicet Simbolo, salutacione angelica, Oracione dominica et Antiphona Salue Regina. Et primo quare premittitur Simbolum apostolorum &c.* Nititur Autor reconciliare hujus precandi Formulae criminales, qui videntur malle rudem et meditationis in-

capacem plebeculam abstinere ab orando Deo, quam easdem formulas repetere, immemores exempli τὸ Θεωρεῖται, qui oravit tertio eundem sermonem dicens. *Matth. 26. De Antiphona memorata nihil habetur in Codice; Titulus tamen ostendit non omnino errasse Simlerum in Bibl. Gesu. quamvis Echardus in Scriptt. Ord. T. II. p. 8. nihil de Expositione hujus Antiphonae a Michaelle adornata compererit.* Fuit Michael Francisci patria Insulensis Flander, sodalitus Dominicanus, a Maximiliano I. Imp. formandae Philippi filii adolescentiae adhibitus, et deinceps Episcopi Salubriensis titulo condecoratus, ut pluribus videre est apud Echard. cit. item in *Biblioth. Belgica Foppenii*, et *Coloniensi Harzbemii.* Ejus *Quodlibeta* supra adducta lucem videre Bonon. 1500. An vero etiam Coloniae 1476. et 1479? Id quidem de evulgatione intelligi malim, quam de typis. *Decisionis* ejus de VII. *Doloribus* editionem adscribam nemini haecenus memoratam. Prodiit illa in Oppido Austriae *Schrattenthal* hoc rubro: *Michaelis Francisci de Insulis Quodlibetica De cisto cum Officio et Missa de Doloribus seu Compassione beatissime virginis Marie.* 1501. 4.

CCCXXXV.

Codex chartaceus lat. Sec. 416  
proxime lapsi Folior. 66. 4. inscribitur: *De Mystero Immaculatae*

1305

D O G M A T I C I.

1306

*latae Conceptionis SS. Dei Genitricis Mariae Devotissimus Tractatus.* Autor, qui *Ord. Min.* fuisse videtur, nomen suum non adjecit, laborem vero suum *Leopoldo I. Imp.* obtulit, ut patet *fol. 29.* ubi postquam *Ferdinandi III.* in Virginem adfectum celebrasset, subdit: *Ejusdem piissimi animi ac coronarum heres modo extat Vestra Cæsarea Majestas, Romanorum Cæsar semper Augustus, Turcarum debellator et Triumphator gloriosus.* Conclusionem porro (methodo enim scholastica procedit) quam probandam sumit, ejus verbis adscribo: *Beatissima Virgo Maria in nullo penitus instanti habuit siue contraxit peccatum originale, sed in Conceptione sua semper fuit ab omni labe divinitus præservata.* Atque in hunc finem *Figuris Antiqui Testamenti, Dictis Patrum et Doctorum, Oraculis Summorum Pontificum,* quos inter recentissimus *Alexander VII. Decretis Conciliorum, Sensu Universitatum, Principum, Civitatum, Miraculisque* utitur, in quo non semper limpidis fontibus usum adultior nostra aetate Crisis facile videt. Sub finem *Adversariorum* objectis respondet. Quae omnia uberiora habes apud *Coelest. Sfondratum,* et *Thom. Strozium.*

II. *fol. 53.* sequitur *Ejusdem: Compendiosus Luciferi aliorumque ejus Sequacium primi peccati Discursus,* in quo eadem methodo adserta Angelorum existentia de quorundam *Lapsu, Lapsusque natura* differitur. Ad calcem Autor

se suaque Sanctae Matri Ecclesiae humiliter submittit.

CCCXXXVI.

Codex chartaceus lat. Sec. 488 XV. Folior. 285. 4. currente calamo exaratus, rubricisque distinctus praemisso *Elencho* continet, quae sequuntur: I. *Tractatum de Angelis,* cujus Quæstio princeps: *Vtrum propter varia huius vie temptamenta indigeant viatores beatorum angelorum custodia.* Ut *fol. 13. p. 2.* minio notatur: *Ad hanc questionem respondit frater Mathias fabri de augusta ordinis fratrum beate marie de monte carmeli in conuentu augusten. Anno domini. 1467. in capitulo provinciali in festo sancti Jacobi apostoli. Et in eodem promotus est in lectorem sacre pagine.* Totius itaque *Tractationis,* quae multas deinceps etiam de reprobis Angelis Quæstiones continet, Autor habendus est hic *Mathias Fabri.*

II. *fol. 61.* praemisso *Elencho* sequitur *Ejusdem Tractatus de Votis,* cujus prima Quæstio: *Vtrum omne votum voventem executive obliget ad implendum id quod vouerat.* Ad hanc etiam, uti et subjunctas Quæstiones respondisse dicitur *fol. 64.* Idem *Anno. 1468. in alma vniuersitate Wien. lector ac magister artium. in crastino sancti ludowici conf. regis francie.*

III. *fol. 118.* *Ejusdem tractatus de Clavibus Ecclesiae,* cujus prima Quæstio: *Vtrum soli sacerdotes*